



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Scholia In Primarias Preces Imperatoris**

**Chokier, Jean de**

**Coloniae Agrippinae, 1674**

XXXII. Preces Primariæ an habeant locum in mensibus Ordinarijs

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62387](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62387)

42. Io. And. Abb. in cap. accedens, de Præbend. Rota decis. 104. & 148. Io. And. & Francus in cap. quod alicui, de Reg. jur. in 6. Gemina, & Francus in cap. 1. de Procur. Covar. var. resolut. lib. 3. cap. 16. hinc potest pro clerico acceptare beneficium, ut procurator, Io. And. & alij in cap. Accedens, de Præbend. Rota, decis. 11. tit. de rerum permutat. in antiq. maxime cum possessionis acceptatio in nudo facti ministerio consistat, quod rectè etiam per Laicum expeditur, Selva de beneficio part. 3. questio. 55. Neque officit quod originale mandatum constitutionis ad acceptandum procurator ille laicus non ostenderit; quia per substitutionem de sua persona factam, satis apparet de mandato: nam statur assenti, seu attestanti, de mandato, & commissione sibi factis, Tho. Grammaticus voto 15. num. 1. not Bald. in L. iudices, C. de fide instrum. præterquam quod mandatum procurator possit probari per testes, Vantius de nullit. tit. de nullit. ex defectu in bab. seu mandat. numero 70. quales sunt duo isti Canonici Ecclesiæ Cathedralis, qui ab se Visam constitutionem Attestantur

Nec etiam refert quod dictam constitutionem non exhibuerit in tempore, ut puta intra mensis spatium datum Precistis ad acceptandum, tum primò, quia substitutus acceptavit nominationem in tempore, tum quia accessit principalis ratihabitio, quæ licet intra mensem non intervenerit, nihilo secus subsistit, quia ratihabitio per fictionem trahitur retro, & fingit ratificationem fuisse præsentem loco & tempore actus ratificati: verba sunt Jasonis in L. Si is, qui pro tempore, num. 129. ff. de Usucap. hinc fit, ut mandatum à procuratore receptum licet non producat in tempore, quo fit processus, eo tamen quando cumque exhibito processus detegatur validus, Vantius de nullit. d. tit. nu. 117. præterquam quod conditio purificata possit & debeat retrahi, Decius ad Reg. contractus, nu. 17. in fi. de Reg. iur. Denique, licet clausula hæc in Indulto Precum, PERSONÆ QUÆ INTRA MENSEM &c. importent conditionem, ut intra dictum tempus acceptent &c. nihilominus illa semper resolvi potest re integra, hoc est, beneficio adhuc vacante, Staphil. de lit. grat. tit. de Vi, & effectu claus. vers. Quinto non est omittendum. Ex qua resolutione satis videtur tertium propositæ quæstionis caput explanatum.

Ratihabitio retro trahitur.

Quo verò ad secundum caput, videtur jam esse extra omnem disputationis aleam, Precistis esse affecta beneficia in utroque mense vacantia, multis de causis, sed potissimum istis, 1. quod in textu Indulti concessionis Precum expressè disponatur de mensibus quibuscumque etiam ordinarijs, in quibus Executores per Imperatorem Nominati conferre poterunt beneficia in dictis mensibus vacantia. Neque obtare Concordata, quia privilegium illud concedendi Primarias Preces multis sæculis antiquius est Concordatis initis inter Fredericum, Principesque nationis Germanicæ, & S. Sedem. Unde non

Precistis an sint effecta beneficia in utroque mense.

H

est veri-



est verisimile eundem Fredericum voluisse aut potuisse renūciare juri pre-  
 cum Imperialium antiquissimo, cum juris sit explorati per generalem dispo-  
 sitionem nunquam tolli peculiare privilegium, glo. in L. Decurionibus, C. de Si-  
 lentia, lib. 12. Gonzalez, ad Regul. VIII. Cancell. glo. 9. §. 2. num. 6. & 7. Cassad.  
 decis. 6. super Reg. maxime Imperatori, ut in specie Precum respondit Pa-  
 ris. cons. 50. num. 30. vol. 4. Quid, quod dictis Concordatis nominatim, &  
 solenniter derogatum sit; ut patet ex Indulto in claus. Non obstantiarum,  
 ibi, NEC NON CONCORDATIS NATIONIS GERMANICÆ,  
 sic quod nullus videatur in eo relictus dubitandi locus &c. & si esset, majori  
 argumentorum falce tolli posset, sed de istis postea, Deo dante, latius in glo.  
 verbi CVM IN QVIBVSVIS &c.

Tertij capituli resolutio pendet ex ijs, quæ dicta sunt supra ad primum du-  
 bium, verisimiliter nec etiam refert.

Ad quartum, videretur de jure resolvendum Precista ob stare aliam præ-  
 bendam, quam possidet, quo minus possit aliam acceptare vigore suarum  
 Precum, per not. Staphil. de lit. gra. tit. Gratia semel extincta non amplius revivif-  
 cit, verum considerata clausula nostro Indulto inserta, in §. 4. ibi, ETIAM  
 DVO VEL TRIA, VEL PLVRA QVARVMQVE QA-  
 LITATIS, ET CVJVSQVE VALORIS BENEFICIA OB-  
 TINENTIBVS, videtur non illi ob stare alteram præbendam quam possidet  
 in Ecclesia de Hildesheim.

*Clausula  
 duxerit  
 acceptan-  
 dam quid  
 operetur.*

Ad quintum, quod licet clausula Indulti DVXERIT ACCEPTANDAM,  
 hoc operetur, ut neglecto beneficio primo vacante, secundum, nulli tamen  
 alteri debitum, possit acceptare, Staphil. de lit. gra. tit. quib. med. lit. ad benef.  
 Exp. §. Tertio expirant, vers. Primo nisi, &c. Imò si male acceptaverit primum,  
 possit illo dimisso aliud acceptare, Staphil. d. loco, tamen cum Precista matura  
 judicij lance valide acceptaverit beneficium per obitum N. vacans, non po-  
 tuit alium Canonicatum vacantem in mense Ordinarij vigore eandem  
 Nominacionum afficere aut curare sibi provideri, text. in cap. 1. §. 2. contra. de  
 Gemina, Francus, & alij, de concess. præbend. & ratio est, quia gratia ejus semel  
 extincta, quæ proinde amplius revivifcere non potuit, per glof. in cap.  
 Gratia, de Rescript. in 6. nam in inutili acceptatione beneficii non est præ-  
 nitentia aut variationi locus, Tyraquel in L. Boyes, §. hoc sermone, limit. re-  
 num. 31. de verb. signifi. maxime cum is qui inutiliter acceptavit, fuit in culpa,  
 Tyraquel d. loco. Nam, qui scienter eligunt indignum, amittunt facultatem elec-  
 tum eligendi, cap. bona 2. de electio. qua de re vide plura supra in verbo, Quid  
 quicumque, & infra in glo. verbi Infra mensem. Accedit, quod debetur ex pri-  
 ma acceptatione, non debetur ex secunda, per not. Gomez. ad Reg. de publican-  
 dis, vers. nec obster. Cum autem Precista primum Canonicatum acceptave-  
 rit per obitum N. vacantem, cum ipse habuerit recursum ad Executorem,  
 insti-

PRIVILEGIUM  
 REGULARIUM  
 ET  
 COMMENTARIUM  
 IN REGULA  
 CANCELLARII  
 APOSTOLICE  
 L. 7  
 PRECES IMPERIALIUM  
 G. III  
 8



instititque pro collatione & possessione, satis videtur declarasse prædictum Canonicatum ele gisse, *text. in Clem. 1. §. quin etiam ibi Cardinal. & glos. de concess. præbende, Francus in cap. 1. §. ex parte, d. tit. in 6.* Quod si replicetur, datum fuisse Precisæ impedimentum à Turnario collatore, qui alteri dictum Canonicatum contulit, ad ipsius exclusionem, respondebimus, hoc illi non patrocinari, cum habuerit juris remedium ad manum, ut pote Executorum à sua Cæsarea Majest. datum, à quo poterat Collator cogi per censuras Ecclesiasticas, ut sibi de dicto Canonicatu providerent, *Rebuff. ad Concordat. Gallie, tit. de collatio. §. 1. vers. impedimento legitimo cessante* Neque enim impedimentum excusat, cum potest removeri, *Bartol. in l. quibus diebus, ff. de condit. & demonstrat. Flam. Paris. de resignat. benef. lib. 11. quest. 13. num. 28.* Ex quo sequitur dictas Preces expirasse per acceptationem primi Canonici: præsertim cum jam res non sit integra, ut pote Canonicatu iam alteri collato; qua de re latius infra adhuc dicam, *in glos. verbi INFRA MENSEM.*

*c* CVM IN QUIBVSVIS ETIAM ORDINARIIS ) Tametsi non obscure ex verbis textus nostri Indulti beneficia vacantia in mensibus Ordinariorum includantur in concessione Precum, ortæ tamen sunt variae variis in locis per Germaniam difficultates, an beneficia in dictis mensibus vacantia Precisæ affecta essent. Nam pro Negativa immane quantum argumentorum protulerunt illius assertores, atque in primis pro stabilienda sua opinione proferunt in medium textum hunc Concordatorum in clytæ nationis Germanicæ cum S. Sede: *Idem S. D. N. per quamcumque aliam reservationem, gratiam, expectativam, aut quamvis aliam dispositionem, sub quacumque verborum forma per eum, aut eius autoritate factam, vel faciendam; Non impediet quo minus de illis cum vacabunt de mensibus Februarij, Aprilis, Iunij, Augusti, Octob. & Decembris liberè disponatur per illos, ad quos Collatio, provisio, presentatio, electio, seu quavis alia dispositio pertinebit, Reservatione aliave quavis dispositione autoritate eiusdem D. N. PP. factis, vel faciendis non obstantibus quibuscumque.*

Ex quo Concordatorum textu hoc argumentum sumunt: Quicquid habet Juris Imperator ad concedendas Preces Primarias, illud habet à Papa: sed Papa juxta præinsertum textum Concordatorum non habet ius conferendi beneficia in mensibus ordinariis, ergò neque Imperator: Neque enim quis plus iuris transferre in alium potest, quam ipse habet, ut in simili dicitur, quod non potest plus esse in causato quam in causante, *Philip. Probus tract. iuris regalijs, quest. 12. num. 5.*

Ad hoc argumentum respondeo, & quidem ad maiorem Imperatores Romanos à multis iam retro seculis ex privilegio, & inveterata consuetudine à Summis etiam Pontificibus laudata & roborata, idque etiam

*Preces primarias aut habeant locum in mensibus Ordinariis*

*Arg. pro negativa*

*Colutio.*



ante Concordata Nationis Germanicæ cum S. Sede facta sunt, jus habuisse Preces Primarias ad omnes Collatores & Collatrices, qui de beneficiis quocumque modo disponendi jus habet, per univ. sum Rom. Imperium dirigendi pro personis idoneis, ut beneficium unum vacans vel proxime vacaturum, in quocumque mense id contigerit, infra mensem bidui notæ vacationis acceptandum, persona nominata conferatur, quemadmodum nedum ex ipso Precum textu & narratis constat, sed & authoribus Juris non paucis, qui dicti privilegij mentionem faciunt: veluti Speculator, qui circa annum Christi 1271. floruit, vidisse se scribit, ut tit. de prebend. §. restat. num. 7. ibi Io. And. privilegium bullatum, quod Imperator in qualibet Ecclesia Germanicæ possit facere recipi unum &c. Similiter Jo. Monach. in cap. 2. de prebend. qui circa annum 1300 floruit, & Restaurus Castaldus, Anto. Corfetus, alijque non pauci, qui de avorum memoria scripserunt, dicti privilegij non infrequentem mentionem faciunt. Quocirca cum tempore hujusmodi inveteratæ consuetudinis diu ante dicta Concordata S. Pontificis potestas restricta non fuerit ad certos menses, is procul dubio hanc Imperatorum consuetudinem potuit in omnibus mensibus indistinctè roborare & confirmare, prout confirmasse censendus est, cum super eo de aliqua restrictione non appareat. Quò fit ut ista consuetudo plusculis seculis continuata, & à S. Sede approbata, postea per Concordata inter eandem S. Sedem, & inclitam Nationem Germanicam subsecuta minimè limitari poterit, aut Jus Imperatori questum auferri: quod jus Imperator non habet simpliciter post Concordata, sed diu ante illa originem habuit. Atque inde ad minorem respondeo, dato non concessio illam veram esse (cum illius contrarium Rotæ sæpiùs judicaverit, videlicet Papam sibi per Concordata manus non sigasse, sed in mensibus Ordinariorum cum illis concurrere, illosque prevenire posse, prout etiam in specie in Indulto Cæsares alternativis provisionibus Ordinariorum derogatur) id non intelligendum esse de Jure, quod Imperium & Imperatores Pontificibus concedentibus ante dicta Concordata habuerunt, nec illud privilegium seu confirmationem consuetudinis antiquioris præcedentis, per subsequèntia Concordata sublatum, & restrictum esse. Unde manifestè apparet, aliud in Imperatore, & Imperio esse, quorum jus antiquius est ipsis Concordatis, nec illis post Concordata demum à Papa concessum, sed antea illud obtinuisse eo tempore, quo Papa potuit in omnibus mensibus indistinctè beneficia conferre. Atque secundum hanc resolutionem paucis ante annis non pauci Jurisconsulti nostrates responderunt, & imprimis Eximius vir D. Gaspar à Rupe, J. U. D. & Schabinus Leodien, neque non Serenissimi Principis Electoris Colonien. à consilij intimis.

Adis Sov  
tuvia

Succedat alia solutio, quòd per dicta Concordata nequaquam censetur derogatù prædictæ antiquæ consuetudini cõferedi Preces Primarias personis idoneis.

PRIVILEGIA  
REGULARIUM  
ET  
CONVENTUALIUM  
IN REGULA  
CANCELLARII  
APOSTOLICE  
S. S. C. III  
8



idoneis: quia illa nihil aliud continent, ut refert Simonett. *tract. de reservatio-*  
*quest. 1. num. 4.* quàm extravagentis Execrabilis, & ad regimen, moderatio-  
 nem cum peculiari retentione reservationum à jure communi duntaxat præ-  
 scriptarum, & insuper restituitur ordinarijs facultas conferendi beneficia,  
 quæ antea per dictas reservationes erat ipsis ablata, ut præter Simonettam  
 d. l. c. l. c. respondit D. Wames, *consil. 255 nu. 5. & consil. 262. in fi.* Abb. *in cap.*  
*super eo, de off. delegari, & in cap. final. de pe. & remis.* Lud. Ro. *consil. 237.* Crescēt.  
 d. c. l. 10. *de privilegijs,* atque ita interpretandus est præinsertus dictorum Con-  
 cordatorum textus: per quem nullo modo sublatum censerit debet privile-  
 gium Imperatori concessum Preces Primarias conferendi in toto Imperio:  
 eam illius nulla planè fiat mentio, ut debuit fieri, nam aliàs per generalem  
 dispositionem numquam tollitur peculiare privilegium alicui concessum, nisi  
 illius specialis fiat mentio, per gloss. *quam ad hoc citant omnes in l. 3. C. de silentia-*  
*rijs, lib. 12.* Simonett. *tr. de reservatio. quest. 99. & 87. n. 2.* ubi dicit illud maximè  
 procedere, quando tale privilegium concessum est, ob remunerationem, ut  
 hic ob benemerita Cesaris, ut habetur initio Indulti. Atque ita fuit resolutum  
 in una Leodien. *Canonicatus, de anno 1596 coram illustr. Blanchetto, teste Gon-*  
*zalez ad Reg. VIII glo. 9. §. 2. nu. 7.*

Accedit, privilegij revocationem nequaquam præsumi nisi de illa aperte  
 constet, ad cujus probationem plena exactaque fides facienda est, *Mench lib. 3. Solutio*  
*6. de præsumpt. nu. 7.* ubi dicit revocationem privilegij & concessionis facta à  
 Principe non præsumi, ne se ipsum corripuisse, & voluntatem mutasse præ-  
 sumatur, ut respondit Dec. *in consil. 168. col. 2.* Alciat. *respon. 19. nu. 4.* Cravet. *consil.*  
*21. in fi. & Paris. consil. 61. in fi. lib. 2. & consil. 50. nu. 30. vol. 4.* Ubi scribit in specie  
 Precum Imperialium, etiam si Reges aut Regina in generali Pontificis con-  
 stitutione nominentur, non venire Imperatorem nisi specificè exprima-  
 tur.

Sed nec illud silentio involvendum est, non videri Imperatorem Frede-  
 ricum per Concordata initia cum S. Sede voluisse insigni huic privilegio, a-  
 deoq; Juri successoribus suis illius ratione competenti præjudicare: Juras e-  
 nim proprijs renunciatio non præsumitur, sed ita capienda est interpretatio,  
 ut illa excludatur, per Not. Tyraquel. *in leg. si unquam, in præfatione, nu. 128. cum se-*  
*quens. C. de revocan. donat. Masc. ar. de probationibus, concl. 1263.* ubi scribit renun-  
 ciationem dici quandam dilapidationem, nec illam unquam præsumi, adde  
 Anastas. *Germon. tract. de Indultis Cardin. §. Volumus autem.*

Rursus, objiciunt contrariae sententiæ authores argumentum istud: Papa  
 in privilegio dato facultati artium Lovaniensi, vult quod facultatis Nomina-  
 tiones præferantur precibus Imperialibus. Sed nominationes facultatis ar-  
 tium Lovanien. non admittuntur in mense ordinario, obstantibus Concor-  
 datis



dati Nationis Germanicæ, ergò multo minus Preces Imperiales. Vel istud: Papa præfert Nominationes Lovaniensium Precibus Imperialibus: sed Nominationes Lovanien. non habent locum in mense ordinario propter Concordata Nationis Germanicæ, ergò neque Preces Imperiales.

*Solutio.*

Respondetur regulariter in Indulto Imperatoris expressè & nominationes derogari quibuscumque Nominationibus; cæterum quod Nominationes non admittantur in mensibus ordinarijs, inde est, quia Papa id non voluit, sed contrarium in Indulto facultatis nominandi expressè statuit, idque optima ratione, cum Concordata sint antiquiora dicto Indulto: Papa enim quoad ejus fieri potest non censetur velle derogare Juri Ordinarij, cum quibus licet concurrat in collatione, tamen non debet contra rationem alijs potestatem conferendi auferre, *Simonett. de reservat. quest. 5. n. 5.*

*Aliud  
arg. pro  
negativo.*

Insuper obijciunt, Juri quæsitio per litteras seu concessiones Apostolicas tam de jure communi, quam per Regulam Cancellariæ 15, non derogatur: ergo neque Preces Imperiales quæ à Papa procedunt, & omnem suam auctoritatem habent, debent, nec possunt impedire aut extrudere eum qui habuerit Nominationem, seu Collationem Capituli vel alterius Ordinarij, acceperitque possessionem antequam ipsa Preces fuerint debito modo insinuatæ.

*Solutio.*

Argumentum istud non impugnat Preces Imperiales quo minus in mense Ordinarij admitti debeant, sed saltem potestatem Ordinarij non esse ligatam, antequam debitè insinuatæ fuerint, quod forte facilius admitti poterit, prout etiam valet collatio Ordinarij antequam ipsi mandatum de providendo alicui à S. Pontifice concessum insinuetur. *Glos. 2. in cap. fin. de præb. cap. si capitulum, cap. si soli. de concess. præbend. in 6.* licet secus esset, si Pontifex et ipsa jam Canonicum aliquem creasset, & mandasset illi provideri de prima præbenda vacatura, tunc enim etiam ignorantis Ordinarij manus ligatæ forent, *Cap. si postquam, de præb. in 6.* Quod in Precibus non fit, sed tantum provisio in futurum mandatur nullo jure de præsentibus Precibus collato.

Verum enimvero, illud multarum resolutionum instar esse videtur, quod ex ipso Precum Imperialium textu disertè constare dicitur, Preces Imperiales dirigi ad Ordinarios quocumque mense vacaverint, & prædecessorum Imperatorum precibus hætenus reverenter paritum esse, testantur plurimorum exemplatum Leodij, tum passim in Germania etiam in Collegijs quæ præsentem reformatam, ut vacant, religionem excolunt, ut certè Ordinarij Germaniæ, qui Orthodoxam profitentur religionem, multo magis admittere debeant in suis mensibus Primarias istas Preces, multis retro sæculis aliis quia à suis decessoribus receptas: quas etiam in suis ditionibus admisisse Seren. Electorem Coloniensem Principem, & Episcopum nostrum omni laude dignissimum, omnibus pernotum est. Cum itaque observantia ævi nostri, & antiqui



antiqui differentiam mensum in Precibus Imperialibus non admiserit, illa nunc non debet induci, vera enim interpretatio sumitur à practica, seu ab eo quod fieri consuetum est, L. Minime, ff. de leg. cap. dilectus de consuetudine, ac idè dixit Baldus, per textum in l. illud de excis. Tutor. quod ab antiqua practica recedendum non est, Restarus Castaldus de Imp. quest. 24. nu. 2. Imò licet jus illud Imperatorum non foret satis fundatum, tamen ab Imperij membris, & subditis Preces non debent sperni, maximè cum ad Preces Archiepiscopales hætenus collationes in mensibus Ordinariorum denegatæ non sint, ut sine insigni injuria, id contra Imperatorem, & antiquo Jure Imperij & Pontificis utentem tentari vix posse videatur. Est enim juris explorati, possessionem immemoriam juvare possessionem donatam, Bald. in l. Ius ejus. C. de Probat Philipp. Probis ty. Jur. Reg. q. 51. Savè, si contra expressam Indulti Pontificij, & precum Imperialium dispositionem soli menses Pontifici reservari Precibus includerentur, nihil opus aut necesse foret Capitula aut alios Ordinarios pro Collatione adire, sed illa directè ab ipso Pontifice, vel executoribus à S. Sede deputatis dari fieri posse, nec factio Ordinariorum in casu hoc aliquo modo opus foret, eoque casu Archiepiscopis, & alijs Principibus, qui Indulta specialia habent conferendi beneficia in mensibus Pontificijs vacantiæ, per ejusmodi Preces injuria aliqua fieri videretur, quod ipsis solis conferretur per illas Preces facultas utendi in suis Indultis vacantiæ in mensibus Apostolicis conferendi, & reliquis inferioribus plena libertas post supradictam inveteratam consuetudinem Precum Imperialium per Concordata autoritate & interventu Imperatoris certis mensibus obtenta idem faciendi remaneret.

Denique & postremò sacrum Rotæ auditorium (quo nullum est toto in orbe præstantius, propter multiplicem virorum prudentiam de causis sæpe numero disputantium concursum, quorum mutua, & frequentes disputationes & inter agendum actiones eminentem illis pariunt scientiam rerumque omnium experientiam, teste Ludovico Gomel. in præm. Reg. Cancell. quest. 2. vers. 4.) proponente R. P. D. Coccino 4. Maij 1618. viro ab eruditione, singularique prudentia & animi (quod rarum est in ejusmodi dotibus) modestia commendatissimo, resolvit, in mensibus etiam ordinarijs Primarias Preces locum habere, neque illis obstare Concordata nationis Germanicæ. Ut autem illius notitia omnibus tam Ordinarijs, quam etiam Precistis, quibus potissimum hæc scribuntur, innotescat, libuit decisionem ipsam de verbo ad verbum hic attexere. Sanctiss. D. N. Sacra Casarea Majestati concessit Indultum, ut vocant, Primariarum Precum, per quod eidem datur facultas, ut nominare possint ad prima beneficia vacatura, dummodo in generali vacatione quatuor beneficia contineantur: unde dubitavi an in dicto Indulto comprehendantur vacationes in mensibus Ordinariorum, ita ut nominari possint beneficia in dictis mensibus vacantiæ acceptare: & Domini affirmative responderunt, quo ad loca, quæ comprehenduntur in dicto



in dicto Indulto, de quibus Crescent. decif. 3. de præbend. Sarnen. decif. 8. in manu script. Ratio resolutionis fuit, quia in dicto Indulto in versic. hinc est. s. m. indel. sit. quod si Imperator quibusvis Collatoribus seu Collatricibus quorumcumq. beneficiorum Ecclesiasticorum &c. Preces porrexit pro aliqua persona ad beneficium aliquo a nominata, dicti Collatores, vel Collatrices dictis Precibus parere cogantur, & propterea cum Indultum loquatur de quibusvis Collatoribus &c. comprehendit tam ordinarios, quam extraordinarios. glo. in Clem. 1. vers. quodcumque, de vita & honest. Cler. Crescent. decif. 20. nu. 2. de præbend. & beneficia vacantia in mensibus ordinarijs quia nihil est aliud parere Precibus ad favorem personarum nominatarum, quam facere collationem dictis personis ab Imper. nominatis, ut in individuo dixerunt Specul. de præbend. & dignit. §. restat. nu. 7. & ibi Jo. And. littera C. & in cap. is cui, n. 1. eod. tit. in 6. Uterius hoc evidentissime probatur, quia in eodem Indulto in vers. quod quicumque &c. disponitur ut quicumque executores per Imperatorem nominati, possint conferre beneficia, etiam Collatoribus Ordinarijs per concessionem Apostolicas aut litteras alternative aliaque privilegia quæcumq. illis competentia aut alijs quibuscumq. mensibus vacaverint. Quibus verbis nihil clarius dici potuisse videtur, ad ostendendum; quod huiusmodi Indultum comprehendit etiam beneficia vacantia in mensibus Ordinarij, cum alias dicta facultas frustra Executoribus ab Imperatore nominandis concederetur: Quod etiam magis confirmatur ex verbis immediatè sequentibus, ubi talis facultas extenditur, etiam si beneficia fuerint Sedi Apostolica reservata, præterquam per Extravag. ad Regimen, cujus dictionis, etiam, natura est exprimere casum magis dubitabilem, & implicare minus dubitabilem. Doctor. in l. quod si patris, C. unde liber. Igitur signum est, quod minus erat dubium comprehendis beneficia non reservata, & quæ sunt de collatione Ordinarij, & sic in mensibus Ordinarijs vacantia.

Non obstant Concordata Germaniæ, cum illis nominatim & expressè prout requiritur fuerit devotum Et ita conclusum 4. May. 1618.

An Preces  
afficiant  
beneficia  
in in di-  
cesi Leo-  
dien. in  
mensibus  
Ordina-  
rijs.

Atque hæc quidem indubitata sunt in Germania, neque etiam Germani, ut existimo (nisi quis fortè fluctus in sympulo excitare volet) reluctaturi sunt: Sed utrum usquequaq. exploratum sit in Diocesi ista Leodiensis, mihi hic aqua hæret, propter inferiores Collatores, qui nituntur constitutione Eugenij IV. de data anni 1432 quam speciali sua constitutione confirmavit Pius II. anno 1458. & postea Sixtus IV. anno 1479 quæ quidem constitutio pluribus annis præcedit Concordata nationis Germanicæ; Ea enim constitutio inter inclitam Nationem Germanicam, & S. Sedem pactum, conventumque est, nimirum liberam relinqui collationem Episcopo Leodien. alijsque Ordinarijs Collatoribus, eorumque successoribus canonicatum, beneficiorum &c. quæ perpetuis futuris temporibus in Februarij Aprilis, Junij, Augusti, Octobris, & Decembris, vacare contingerit, dummodo illa dispositioni Apo-  
stolicæ



stolica per modos reservationum in litteris Eugenij expressos, generaliter reservata non sint decernentes irritum, & inane &c. Ex quo inferunt, cum duobus his privilegijs muniti sint Leodien. utpotè Eugenianæ constitutionis, & Concordatorum, Indultum Casareum, quod facultatem Casari nominandi, seu nominationes Primarias concedendi ad beneficia in toto Imperio existentia impertitur, minùs illos afficere, cum Pontifex in illo, etiamsi Concordatis derogarit, non tamen derogavit dictæ constitutioni Eugenianæ est enim juris non incerti, ut duobus impediementis existentibus, uno sublato, remaneat aliud, *cap. Pastoralis, de privilegijs, cap. ex tunc, de Aucto. & usu pallij, Gonzalez ad Reg. VIII. Cancell. glo. 13. in pr. nu. 93.* præsertim ubi adest clausula irritans, ut in dictis constitutionibus, quæ clausula irritat omnes & quascumque alias constitutiones quorumcumque tenorum, & quascumque derogatorias clausulas continentis &c. Sed quid ad Resolutionem Rotæ suæ præscriptam? quid ad clausulam derogatoriam constitutionum quarumcumque quandocumque editarum & edendarum? quæ habetur inter clausulas hujus Indulti derogatorias; quid quod Papa potest revocare privilegium per Sedem Apostolicam concessum, etiamsi privilegium habeat clausulam derogatoriam? *Card. Tuschus Tom. 6. præct. conclus. conclus. 751. nu. 58.* Itaque cogitandum, sed ex usu recip. esset, si S. D. N. super eo confuleretur per aperitionem oris ut loquimur. Est enim Principis sua privilegia interpretari, ut notat Decius & alij in *L. Neratius, ff. de Reg. jur. Gabriel. cons. 182. num. 14. & seq. Card. Tuschus tract. præct. conclus. tom. 6. conclus. 737.* maximè cum non desint exempla antiqua & recentia utramlibet sententiam confirmantia, licet alioqui non exemplis, sed legibus judicandum sit. *L. nemo, C. de senten. & interloc. om. iud.*

**d** AVT PER LITTERAS ALTERNATIVAS) Puta per Reg. VIII. Cancell. de Reservatione mensium Apost. & alternativa, per quam dantur Episcopis illam acceptantibus, & residentibus sex menses ad conferendum beneficia in suis Ecclesijs vacantia, & sic Papa derogat litteris alternativis, alioquin beneficia vacantia in mensibus Ordinariorum non fuissent affecta Preclitis, quod multi asserere voluerunt, sed frustra, ut patet, & latius ostendi supra in glos. cum in quibusvis,

**V**ACAVERINT) An Preces habeant locum in quacumque vacatione, seu in beneficiis quovis modo vacantibus? & an in beneficiis reservatis? Pro elucidatione prioris dubij sciendum, præter communem vacationis modum, qui est per obitum, aliam esse de jure & de facto, ut in *cap. 2. de concess. præbend.* etiam de facto solum, & non de jure, quia nimirum beneficium non est liberum, eò quòd Collatarius non sit adeptus possessionem, & dependet ab ipsius voluntate, *cap. si tibi, de præbend. in 6.* aliam denique esse vacationem de jure tantum, ut quia incumbit possessioni colorata, de quo est casus in *cap. cum in nostris*

Leodien.  
duplex  
privilegio  
munitis  
sunt.

Preces an  
habeant  
locum in  
quacumque  
vacatione